
REGIA BIBLIOTECA DELL' UNIVERSITA' DI TORINO
P.
I. 93.

DE

LEGENDORUM

LIBRORUM MEDICORUM

RATIONE INSTITUENDA

DISSERTATIO EPISTOLARIS

AUCTORE

CAROLO GIANELLA

PHILOS. & MED.

LIGNIACENSI.



VENETIIS, MDCCXLVI.

Apud Dominicum Occhi, ſub ſigno Unionis.

SUPERIORUM PERMISSU.



Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo

DANIELI BRAGADENO

Equiti, atque Ædis divi Marci Procuratori Ampliſſimo, Studiorumque in Publico Patavino Lycæo Inſtauratori Sapientiſſimo.

CAROLUS GIANELLA

Salutem plurimam dicit.



Ondum aggreſſus meam hanc qualis tandem cumque ſit, de legendorum Librorum Medicorum ratione inſtituenda, Diſſertationem, conſtitueram illam immortali Nomini tuo inſcribere, Eques, ac

Procurator humanissime, ut cultus, observantiaeque erga te meae sincerum aliquod documentum extaret. Cum enim tibi tantum debeam, quantum Patriae, ac Parentibus ipsis me debere sentio, profecto ingratissimus videar, tuorumque in me beneficiorum plane immemor, si, quantum in me est, aliqua grati animi signa, & argumenta non patefaciam. Equidem excellentem Dignitatem, eximiamque Amplitudinem tuam serio perpendens, enixe cupiebam luculentius aliquod Munus tibi offerre; sed cum illud tum publica, tum privata negotia tardius reddant quam par est; meumque erga te ardens studium diutius conclusum animo coerceri nequeat, statui interim opusculum hoc publici juris facere, quod, licet tenuissimum sit, quia tamen Auspiciis tuis in Lucem prodit, satis grande sibi praesidium, & ornamentum comparat. Quid enim Nomine tuo clarius, quid te ipso illustrius, cujus praeclarae dotes, non Civium modo, verum etiam exterarum gentium oculos ad se traduxere, in admirationemque rapuere? Quantus sis, quantaque in agendis rebus dextritaxe instructus, satis jam comprobarunt duę illae tuae honorifice peractae Hispaniarum, ac Germaniae Legationes, in quibus Regibus, & Imperatoribus apprime charus temet absolutis-

lutis

lutissimum virtutum omnium exemplar praebuisti, planeque dignum, cui publica qualibet officia committerentur. Quanta vero sint tua in Rempublicam merita, illud indicat manifestissime, quod summa, ac pene incredibili celeritate ex Equestri ordine ad praeclarissimum Procuratoriae Dignitatis Fastigium evectus es, mox Sapientium Numero ascitus onorificentissimo Litteratorum Triumvirorum munere insignitus appares, in qua quidem tibi merito demandata Provincia nihil antiquius habuisti, quam in studiosos, ac bene de litteris meritos Viros large beneficia conferre, praeclararum artium studia magis, ac magis promovere, ac novas Scientiarum Cathedras erigere. Quid? Praestantissima consecutus semper dignus habitus es, qui illa consequereris: Collatis tibi ab Amplissimo Senatu honoribus honorem semper adiecisti, nec umquam tibi animus defuit ad ea omnia feliciter perficienda, quae vigilantiae prudentiaeque tuae commissa sunt. Tuae enim, ac pene dixerim propriae virtutes sunt constanter, feliciterque administrare suscepta Negotia, dubios, & incertos casus prospicere, repentinos, ac difficillimos expedire, bene sapienterque providere ea omnia, quae ad Reipublicae felicitatem incolumitatemque tuendam pertinent. Quid

de eximia humanitate tua, de admirabili prudentia, de insigni liberalitate, de summa animi integritate, de incredibili morum suavitate dicam? sacræ, ac prophanæ Historiæ scientiam, quæ in te est maxima, antiquarum rerum notitiam, qua polles plurimum, Moralis Philosophiæ cognitionem, qua cedis nemini, eximia hæc ornamenta tua quibus Laudibus efferam? Quoniam vero illud etiam tibi accedit ornamenti, quod de Re Medica bene admodum sentis, qua voluptate perfundar, vix queo dicere. Hoc nempe hoc magnam me in spem erigit, ut hoc exiguum munus tot tantisque titulis tibi debitum minime repudies; sed illa vultus hilaritate, incredibili illa humanitate, qua me ipsum excipere, fovere, ac tueri soles, libenter excipias, & æqui bonique facias. Vale.

DIS-

DISSERTATIO EPISTOLARIS

De Recta legendorum Librorum Medicorum Ratione instituenda ad Celeberrimum JOANNEM BAPTISTAM MORGAGNI Publicum in Lycæo Patavino Anatomiæ Primarium Professorem meritissimum.

CUm ex tua, Vir sapientissime, plena ingenio, & facundia Institutionum Medicarum Idea satis cognoverim, in recta Medicorum Librorum Ratione instituenda adhuc aliquid desiderari, nonnulla super eandem rem excogitare cæpi, deinde quædam delineamenta ducere, quæ tuo, non aliorum judicio subjicere audeo, ut eo redeant unde profecta sunt. Cum enim majores nostri, qui hanc viam præmostrarunt, inter quos præcipue præstitere Petrus Castellanus, Mercurialis, Petrus a Castro, Bartholinus, Heurnius, Lancisius, & Boerhaave, partim fortasse nimis angustis terminis Spartam hanc circumscripserint, partim fortasse nimis multa postulent, quæ a nemine præstari possunt, tu unus potes rectissime judicare, qui fortasse multa in idem argumentum excogitasti, sed postea ad graviora evectus, & publicis, & privatis Lectionibus quotidie nova in anatomicis docens mentem a prima illa Institutione ad meliora conversus avocasti. Quod si tibi non admodum displiceant Cogitationes, & Labores mei, quantum sibi in re tanti momenti vendicabunt auctoritatis, nemo non videt. Quid enim clarius tuo Nomine apud summos, præstantesque vi-

 ros!

ros! de te magnifice loquuntur Laurentius Heisterus, Verheyenus, Ruyschius, Boerhaave; Te eximiis efferunt laudibus Lancisius, Vallisnerius, Polenus, Facciolatus, & alii quam plurimi, quos nimis longum esset percensere velle numerando, quibus tua scripta tanto in honore sunt, ut ab ipsis cum sapientissimorum virorum editis Libris vel comparentur, vel etiam præferantur. Tu igitur eruditissime Vir, ea, quæ in legendorum Librorum Medicorum ratione instituenda pro Praxi Medica exercenda excogitavi, mecum benigne perpendas, ac si quid boni in ea nactus sis illud approbes, sin minus, libere repudies.

Sed antequam propius ad rem nostram accedamus non nulla de temporis Librorum legendorum divisione præmittere operæ pretium duco. Nam cum institutio hæc nostra spectet horsum, ut optimus, quantum fieri per nos licet, atque eruditus instituatur Medicus; inquit enim Pallingenius.

Vel perfecte artem discant vel non medeantur
Nam si aliæ peccant artes tolerabile certe est
Hæc vero, nisi sit perfecta, est plena pericli!

tempus, quod magis aptum sit, quodque ægrorum saluti qui ejus curæ commissi sunt minime obesse possit, est seligendum.

Quod antequam faciam sciendum primum tibi est, non ad eos studiosos Adolescentes scriptam hanc esse Disputationem, qui Philosophiæ, & Medicinæ ignari erudit i Professois disciplina adhuc egent, sed ad eos, qui valedixerint Scholis, jam philosophicis, & mathematicis Principiis, Statica, Geostatica, Hydro.

droſtatica, Botanica, & Anathomica optime inſtituti Praxi Medicæ ſe dedidere.

Ut igitur ad rem veniamus operam duabus rebus dandam eſſe judico ei, qui in optimum Medicum velit evadere, aſſiduo nempe, & nunquam intermiſſo legendorum optimorum Autorum Studio, & ægrotantium morborum obſervationibus,maxima ſemper adhibita in percontando, in cogitando, & examinando diligentia.

Ut hoc duplici fungamur munere legendorum Librorum tempus in duas veluti partes eſt nobis tribuendum, quæ ſint ab illis horis ſecretæ, quæ in viſendis ægris ſunt nobis conſumendæ; in matutinum nempe, & ſerotinum. Prima in gravioribus Medicinæ ſtudiis eſt toto transigenda; ſecunda in iis etiam collocanda, quæ veluti quodam ſocietatis vinculo cum Medicinæ ſtudio copulantur.

Summo igitur ſurgendum nobis eſt mane, & quidem id temporis in graviori, & magis neceſſario ſtudio collocandum; Ablatis enim tunc ventriculi cruditatibus nervei ſucci & defecatiores, & ſubtiliores, & aptiores ad propria munera obeunda reperiuntur. Quamobrem ſapiens Ariſtoteles in Economicis ſcripſit. *Surgere circa auroram conferre ad ſtudium Philoſophiæ, ad rem domeſticam bene gubernandam, nec non ad ſanitatem tuendam*. Quam vero ardens præter hujus temporis delectum requiratur deſiderium, & quam vehemens erga illam diſciplinam, in quam incumbunt ſtudioſi homines, Amor, ſine quo, cum in vita nihil eſt quidquam egregium, tum certe hoc quod expetitur, nemo unquam aſſequetur, Vir Sa-

pien.

pientissime , jam optime intelligis . Etenim cum sit animus in iis, quæ a nobis amantur assidue detentus, medicam disciplinam amando, in ipsa assidua etiam , & vehementi animi contentione semper erimus magna cum voluptate occupati. Ex quo fit ut labor & contentio, jucunditate illa, quam in admirandis sepultis ingeniis percipimus, abunde superetur. Sed quo ordine legendi sunt Libri mecum paulisper perpende.

Cum ille divinus senex Hippocrates primus omnium Philosophiam a Medicina disjunxerit, ad ipsum veluti ad clarissimum Fontem, ex quo purissimi doctrinæ Rivi emanant in primis est confugiendum; *inertis enim ingenii est*, monente seneca *Fontes relinquere, & Rivulos quærere*. Ergo Hippocratis Libros legerem, & illo quidem ordine, quo dispositi sunt, licet illorum multi non Hippocratis, sed Polybi reperiantur; deinde perlegerem, & majore quidem studio, & diligentia adhuc perpenderem. Cumque in illis Libris, ut inquit Galenus, nulla sit syllaba, quæ aliquid non significet Auctoris sententiam examinarem, ejusque divina oracula serio meditarer. Et cum in istius Libris quædam sententiæ reperiantur, quæ memoriæ comittere multum foret utile, has diligenter excriberem, & quotidianis observationibus earum experimentum facerem. Ex hisce enim intelliget Medicus Artem hanc nostram difficilem esse in discendo, perplexam, & confusam in sentiendo, infidam, & incertam in remediis adhibendis. Nulla propterea Medico in conferendis medicamentis sit temeritas, nul-

la

la illi in observandis effectibus festinatio, nulla in malis eventibus occultatio, nulla in extollendis prosperis jactantia. Sed cum Hippocratis non legendi, et perlegend solummodo sint Libri, sed semper præ manibus etiam habendi, ut ita ingenium nostrum veluti nova incude ad illius recudatur ingenium, quid alii probati, & quidem gravioris doctrinæ Auctores in venerandi Senis sententiam senserint etiam quam diligentissime perquirerem. Inter antiquos Auctores, qui Hippocraticam doctrinam aut approbarunt, aut damnarunt, fuerunt Diocles, Archigenes, Asclepiades, Appollonius, Ruffus, Polybus, Moschio, Cleopatra, Musa, Thucidides, Sabinus, Dioscorides ≂ Anazarbeus, Pelops, Herodotus, Democrates, Herophylus, Antyllus, Celsus, Crito, Philotinus, Praxagoras, Soranus, & alii nonnulli, quorum honorificam facit mentionem Galenus. Sed cum eorum (exceptis tamen nonnullis, Polybo nempe, Dioscoride ≂ Anazarbeo, Antillo, Ruffo, Celso, & nonnullis aliis) scripta reposita in templo Principis Civitatis, incendio, magno artis detrimento, conflagrarint, jam exustis ingentibus Bibliothecis, ex toto Pacis Delubro, sexcentorum fere annorum spatio, seligendus est Celsus, cujus opera elegantissima, & ad Hippocratis, & Asclepiadis mentem affabre elaborata, sunt nobis diligentissime pervolvenda. Ex viginti vero quinque hujus clarissimi Auctoris Editionibus, illam seligendam esse putarem, quæ ex typis cominianis Patavii prostat. In illa enim leguntur tres tuæ Eruditissimæ Epistolæ ad Joannem Baptistam Uulpium Scri-

Scriptæ, in quarum prima Textui Celsiano præmissa plurima Celsi corrupta loca restituis, obscura alia, ac difficilia a nemine hactenus enodata illustras, & varia ejus hucusque non collecta fragmenta adducis. In secunda vero, quæ est ad calcem textus reposita duorum integrorum Capitum in Celsi Libro quarto defectum, materiamque in iis tractatam detegis; ac tandem in tertia quindecim observationes Jacobi Facciolati doctissimi viri in totidem Celsi voces enumeras.

Ab his purissimis Doctrinæ Fontibus ad alterum Fontem, & quidem clarissimum transirem, Galenum, nempe, ex quo Hippocratica solida doctrina sublimi quodam stylo, & claritate emanat, cum in omnibus ejus partibus admirandi Senis sint dispersa oracula. Quem Auctorem si legisset Baglivius non in illum incidisset errorem, ut Galenum damnaret quia aquæ potum adeo improbabat in febribus, ut potius sineret ægrotantem vita periclitari, quam minimam atquæ guttam eisdem tribui, ut patet expresse ex capit xii. de morborum hypothesi recte construenda; cum id falsum omnino sit; Aquæ enim potus a Galeno in febribus laudatur; & Libro nono capite quinto method. medendi hæc habet: *maxime vero continentium febrium remedia sunt, detractio sanguinis, & potio frigida*. Sed cum Galeni Scripta nimis ampla sint, multumque temporis in iis legendis requiratur, iis, quæ non magni momenti sunt, relictis, magis necessaria atque utilia eligerem, & legenda indicarem. Et primum quidem admirabiles, ac

pene

pene divinos de usu partium Libros eligerem, tum Libros de Alimentorum facultatibus, de Succorum bonitate, & vitio, de exercitio parvæ pilæ, de sanitate tuenda, de differentiis morborum, de Symptomatum caussis, & differentiis, de Febrium differentiis, de Plenitudine, de Tumoribus, de locis affectis, de pulsibus, de urinis, de simplicium medicamentorum facultatibus, de Theriaca ad Pisonem, de usu Theriacæ, de venæ sectione, de curandi ratione per sanguinis missionem, de medendi Methodo, de Arte curativa, de Remediis paratu facilibus.

Hisse vero in hunc modum constitutis legerem in Hippocraticam Doctrinam Galenicos Commentarios, atque ex omnibus illis eligerem, qui in epidemicos Libros conscripti sunt. Sed cum Studium Hippocraticum ceteris omnibus studiis utilitate præferam, cum in ipso diviniora, & obstrusiora Medicinæ arcana detegantur, non quid Galenus solum, sed quid etiam alii Auctores celeberrimi in Hippocratis Doctrinam senserint studiose, & accurate expenderem.

Primum tamen evolverem Librum de Prænotionibus, tum in altero insudarem de Prædictionibus, deinde in altero mirifico in Coacas Prænotiones, postea in illo de judicationibus, & in altero de diebus judicatoriis, ac tandem in illis de morbis populariter grassantibus. Ad hæc legerem Galenum, Vallesium, Jacotium, Hollerium, Martinum Fuschium, Duretum, & Eruditissimum Mercurialem, qui secundum, & sextum morborum popula-

rium

rium Librum , & quadraginta Epidemicas historias in Pisanis, & Patavinis Prælectionibus ita clare, & docte exposuit; ut ab ejus lectione te multo eruditiorem sentias discessisse. Quam vero doctus, quam eruditus, quam prudens, & expertus in Epidemicorum Lectione, evadat Medicus, nemo profecto sciet, nisi qui improbo labore, & assidua contentione sese totum huic quam utilissimo dederit studio. Hisce prælibatis alios adirem præclarissimos Auctores, qui morborum Historias Hippocratem imitati descripsere. Et inter illos sunt Ballonius, Petronius, Cagnatus, Sydhenamius, Ramazzinus, Lancisius, qui accuratissimis observationibus temporum suorum Epidemicas Constitutiones explicarunt.

Sed cum Medicina portendendo futura summam sibi pariat gloriam, Aphoristicum instituerem studium, diligenterque Aphorismorum sententias excriberem. Neque negligerem eodem tempore eorumdem Aphorismorum Interpretes, & præcipue Galenum, Cardanum, & Joannem Eurnium, qui brevioribus practicis Observationibus Aphoristicam Disciplinam egregie illustravit. Hunc etiam postremum Auctorem legerem in Prongostico; dein ad Legendum Prosperum Alpinum de præsagienda vita, & morte ægrotantium gradum facerem, cum ex illis tamquam ex veris Fontibus multa, quæ reddunt Medicos quam solertissimos, emanent.

At cum suum acceptum referre debeat Medicina Observationibus ortum, atque incrementum, per easdem etiam observationes ad sum-

mum

mum dignitatis suæ fastigium aliquando tandem evehetur. Observationibus igitur clarissimorum Virorum aliquandiu inhærere nonne admodum utile erit Eruditissime Vir, & morborum Historias evolvere? Quod ut facilius consequantur Medici, legant primum Zacutum Lusitanum, qui Principum Auctorum morborum Historias collegit dubiisque, & quæstionibus utilibus exornavit; deinde legant Theophilum Bonetum in suo Sepulcreto, quo Libro, inquit celeberrimus Hermannus Boerhaave, carere non possumus; nam diligentia incomparabili ex omnibus Auctoribus, qui observationes scripserant de Cadaveribus post mortem apertis optima collegit, & redegit ad capita, ita ut hic Liber index sit ingentis Bibliothecæ, & narrationi Historiarum, quæ in Indice continentur, semper præmittat brevem historiam symptomatum, & tum Cadaveris præbeat historiam accuratam. Nec erit, credo, cur pæniteat Optimum Medicum, si alios quoque legerit Auctores, qui in hac ipsa re floruere; Inter quos sunt enumerandi Lanzoni, Nigroseli, Valisnerius, Hofmanus, Riverius, Petri Poterii insignes curationes, & singulares Observationes; & Ferdinandi Epiphanii Observationes, omnes fere Medicinæ partes, cunctorumque corporis humani morbos continentes, quæ non minus Theoriam, & Praxim, quam ob variam Eruditionem, aureasque digressiones erunt omnibus apprime utiles, necessariæ, perjucundæ, lectuque dignissimæ. Atque inter cæteros Auctores legerem celeberrimi Sthalii medico-Practicas observationes,

easque imitari vellem in observando.

Sed cum te, Doctissime Vir, non lateat quam inextricabiles sint mulierum morbi, & quam frequenter occurrunt nobis, non inutile fore crederem adhuc Hippocratis de morbis mulierum Librum repetere, & Forestum, Mercatum, Senertum, & Ettimullerum idem argumentum pertractantes simul attenta mente perlegere, atque ut de mulierum morbis & Affectionibus habeatur clara Idea Guillielmum Ballonium de morbis Virginum Mulierum, & Moricellum, & Petrum Dionem de Puerperiis, & de morbis gravidarum, & infantium recens natorum, & Legerium de Gorey, & Peu Placita circa partum naturalem consulerem, nec non Joannem Mandray in suo Valetudinario Mulierum.

Hinc arrepta occasione ad illos legendos Auctores transirem, qui peculiari Studio, & diligentia de morbis particularibus pertractarunt, cum in ipsis, quæ in aliis Auctoribus dispersa sunt, veluti simul collecta reperiantur. Sed cum multi percensendi sint Auctores, dabis mihi, ut spero, veniam, vir humanissime, si plus justo longior Oratio fastidium tibi pariet, ac satietatem. In hoc igitur Album reducuntur primum illi, qui de morbis puerorum erudite pertractarunt; ut Gualterius Harris, Mercatus, Mercurialis, Fridericus Chaden, Nicolaus Andris, Hemilius Campo-Longus, Hippolitus Bryllus, & Sydenam, & Freind; ab ipsis enim morbi aucti, & cronici, vermes, & variolæ, quibus premuntur infantes optime deteguntur, & curantur. Secundo loco ponen-

di

di ſunt Bellinus de morbis Capitis ; Hieronymus Mercurialis, & Plempius de morbis Aurium, & Oculorum, Baptiſta Codronchius de vitiis vocis; Julius Cæſar Claudinus, & Conradus Victor Schneiderus de Catharro, & de omnibus catharroſis affectionibus; Ricardus Morton , & Eduardus Barry de Phthiſi pulmonali; Sydenam , Baglivius, & Joannes Baptiſta Verna de Pleuritide. Legendi deinde ſunt Hecquet de digeſtione, & morbis Ventriculi. Jacobus Hollerius, Nicolaus Piſo de internis humani Corporis Morbis ; Attilius Bulgetius de Affectionibus Cordis, Joannes Maria Lanciſius de Corde , & Aneuriſmatibus ; Graffinus Farva, & VVillis de Affectione hypocondriaca, & de morbis convulſivis, & hyſtericis; Conſulendi quoque ſunt Junius Paulus Craſſus, & Lanciſius de Morte ſubitanea; Marcus Gerbetius de morbis complicatis; Bernardinus Ramazzini de morbis Artificum, & Joannes Beverovicius de Calculo renum , & veſicæ; Alexander Schnipſmacoppe in epiſtola de Aortæ Polypo , in qua de Polypi natura , dignotione , & curatione diſſeritur tam clare , ac dilucide , ut nihil ſit , quod in hoc opuſculo deſideretur . Legendi tandem ſunt Harvvdanus , Petrus a Caſtro, Sydenam, Baglivius, Franciſcus Joſephus , & Joannes Baptiſta Borealis de Febribus tum Malignis , tum meſentericis , tum epidemicis, & petachialibus , & verminoſis ; Nec non etiam Hieronymus Fracaſtorius ; Aloyſius Luiſinus, & Joannes Aſtruc de morbis venereis; Ex hoc vero ultimo diſcet Medicus, quæ ſit Lues celtica, quo tempore ex In-

ſula Antilla Americana in Europam traducta, quo modo per totam Europam propagata; quibus ſanata remediis; qui fuerint primi in detegenda virtute Mercurii, & qui primum ſalivationem in ejus uſu obſervarunt. Quibus pręparetur modis, & qua methodo adhibeatur; quot, & quales ſint Auctores, qui de Morbo venereo, & de ejuſdem Remediis ſcripſerunt, & alia quam plurima, & per ordinem ita bene diſpoſita in celeberrimo Auctore Lector inveniet, quæ ſummam merentur laudem. Sunt & Alii prorſus innumerabiles legendi, qui ſingillatim de morbis particularibus erudite tractarunt, quos tamen brevitatis gratia omitto percenſendos.

Ita hiſce Auctoribus prælibatis meum appellerem animum ad illos Libros, qui præcipua Remediorum genera perſequuntur. Inter hos enumeratur Luca Antonius Portius in Eraciſtrato de Venæ Sectione: Et Dominicus la Scala, qui edidit Phlebotomiam damnatam, ſive Aridii, Chryſippi Gnidii, Aſclepiadis, Eraſiſtrati, & Ariſtogenis contra Sanguinis miſſionem Doctrinam e vetuſtatis tenebris in lucem ſibi debitam revocatam, & luculentius enucleatam juxta Legis motus humorum in Orbem. Contra Librum hunc ſcripſit Matthæus Giorgius edito Libro inſcripto. *Phlæbotomia liberata*. Sed Dominici Doctrinam propugnavit Ioannes Baptiſta Vulpinces, qui edidit Epiſtolam pro Dominico la Scala contra eundem Giorgium, quæ habetur apud Carolum Muſitanum in ſua Trutina Medica libro ſecundo, capite ſexto. Quæ omnia nobis legen-

da

da sunt, ut in re tanti momenti omnes noscantur difficultates. In eumdem numerum referendus quoque Petrus Castellus de Vomitu, & Vomitoriis, opus medicis omnibus utile ac necessarium ad curandos morbos. Laudandi quoque Baglivius de usu, & abusu vesicantium : Thomas VVillis de medicamentis opiatis: Zendrini & Cogrossius de China Chinæ: Aloisius a Fabra de Meteoris, ac de Morbis ab eisdem derivatis; Baccius de Thermis; Lamery de Antimonio; Gratiani de Aquis Thermalibus divæ Virginis, & Recobarii; Capivaccius de Cauteriorum recta administratione; Petrus Girar[illegible]t Parisinus in Commentariis in diætam Auctorum Hippocratis; Et Arnoldus de Villanova de modo præparandi cibos, & potus infirmorum. Ac tandem Hermannus Boerhaave de materia medica & Remediorum formulis, quæ inserviunt Aphorismis dignoscendis, & curandis morbis; Et Ferdinandus Carolus Veinhart de Medico officioso Praxi rationali methodico Aphoristicarum selectis Remediorum formulis instructo. Quos tamen Auctores postponerem Lectioni Ludovici Mercati de communi, & peculiari præsidiorum Indicatione, ut vera semper in adhibendis Præsidiis indicatio sumatur; Julii Cæsaris Claudini de Ingressu ad infirmos, ut ea, quæ Medicum decet, servetur dignitas: & Joannis Bohnnii de officio Medici, ut quacunque occasione sciat optimus Medicus suo fungi Munere.

Porro cum hosce omnes Auctores serio perpenderit Medicus, eosque bene callueri t,

mentem, animumque adiicerem ad singulorum morborum species, & quæ in ipsis ab optimis Auctoribus præscribuntur præsidia diligenter animadverterem: Quod ut facilius consequerer, relicto illo futili studio, quod in omnibus legendis Auctoribus nauseam parit, in præscribendis scilicet pro singulorum morborum specie sexcentis præsidiis, ad morborum consultationes, quæ passim apud celeberrimos Auctores reperiuntur, me libenter conferrem. Inter cæteros vero eligerem Julium Cæsarem Claudinum, Mercurialem, Ludovicum Mercatum, Rodericum Fonseca, Lælium a Fonte, Zoroastrum Tinellum, Ballonium Joannem Forti, Josephum Lanzoni, Nigroselum, & Cajetanum Armillei, & præcipue Franciscum Redi, & Marcellum Malpighi, utpote qui efficaciora, & simpliciora remedia selegerint apprime Italicis Gentibus utilia, atque peropportuna.

Sed quemadmodum is qui magnifice extructam ædem, ac splendida supellectile ornatam incolit, alias quoque Ædes subire non dedignatur, quæque intus sunt curiosius inspicere, ac si quid pulchrum deprehenderit, imitandum sibi proponere, ita Medicus ille, qui hos sibi delegerit Auctores legendos non debet, meo judicio, alios Auctores negligere, atque illorum systemata repudiare; sed illos etiam serio perpendere debet, atque ex iis prudenter colligere, quæ in suam transferre possit utilitatem. Ex græcis igitur legendos sumerem Aræteum, Æginettam, Aetium Amidenum, Oribasum, Cælium Aurelianum,

Tral.

Trallianum Actuarium, cui multum circa uri. narum causas, judicia, & præsagia debemus. Quod si Medicus non tantum otii habebit, ut omnes hosce Auctores legere possit, legat sal tem Henricum Stephanum, in quo omnes superius laudati Auctores continentur. Ex Arabibus legendos proponerem, Avicennam, Abenzoar, qui singulari præditus ingenio, ac diuturna experientia edoctus plurima Arti ad. jecit, quæ ante eum nec visa prorsus sunt, nec cogitata; Averroem & Aly Abatem, quo. rum ultimus plurimas ægritudines ab aliis num. quam antea visas in apricum protulit, & suum Systema Medicum minime intricatum exhibet; ex Neotericis vero Paracelsum, & Joannem Baptistam Vanhelmont, quorum primus in Ar. te chirurgica ad miraculum usque excelluit; al. ter vero remediorum novitate, & facilitate ad summum honoris verticem brevi temporis spatio pervenit.

Hic celebrandi maxime sunt duo Auctores, qui hoc Studium Medicum curativum, si verum judico, absolutum reddere possunt. Primus est Sanctorius in sua Methodo evitandorum er. rorum omnium, qui admitti possunt in Arte Medica quinquies edita triginta annorum Spa. tio; Alter vero est Antonius Ponce Santacrux de impedimentis magnorum auxiliorum in mor. borum curatione in tribus Libris ad tyrones scriptis, quibus omnes difficultates, quæ se in magnis periculis offerunt, ex mente Antiquita. tis explicantur, opus ita necessarium, ut me. rito curationis directorium possit appellari.

Sed cum facilius sit evitare morbos, quam

ex ipsis, cum laboremus, evadere; altera Medicinæ pars, quæ *Hygiene* vocatur, quæ tractat modum sanitatem conservandi in sanis per certas indicationes, & congrua media est nobis colenda. Quod Studium nunc temporis maxime negligitur, licet nobilius sit, & a Majoribus nostris quam diligentissime pertractatum. Studium hoc excoluerunt Medici Salernitani, qui in ipsa Schola Salernitana floruere quæ anno octocentesimo secundo a Carolo Magno erecta fuit, & jam tribus a suo primordio elapsis sæculis, illud celeberrimum opus confecit, quod vocatur Schola Salernitana, primum ab Arnoldo Villanovano Scholiis illustrata, postea a Joanne de Mediolano. Hæc prodiit in gratiam Roberti Normannorum Ducis, qui Salernitanos Medicos consuluit super vulnere brachio dextero sibi inflicto; quia vero vulnus venenatum credebatur, & jam degeneraverat in fistulam, quam curari posse negabant Medici, nisi frequenti oris suctu, Uxor ejus Principis novo amoris exemplo excitata, dicitur Marito dormienti frequenter fistulam suxisse, atque sic tandem cicatricem obduxisse. Hæc eadem Schola hisce nostris temporibus illustrata prostat, & ejusdem tum utilitates, tum damna deteguntur. Summa etiam diligentia, & incomparabili Studio Spartam hanc illustravit Sanctorius Sanctorius in sua Medicina Statica, tum Cardanus in suo opere novo, cunctis de Sanitate tuenda, & vita producenda studiosis apprime necessario. Scient enim ex attenta hujus Libri lectione, quomodo debeant humanam tueri valetudinem a vitæ primordiis ad extremum

mum usque Senectutis tempus. Scient præterea diversa esse media tuendæ valetudinis ab illis, quæ ad prorogationem vitæ pertinent; scient qui aer sit seligendus, qui potus bibendus, qui motus, quæ exercitationes sint peragendæ, quæ edulia, qui pisces, quæ herbæ, quæ condimenta in usum revocanda, quæ plantæ laudandæ, & quibus hominibus utiliores sint carnibus ovis, caseo, & piscibus. Qui fugaces fructus utiles sint, qui bellarii seligendi, & quo tempore manducandi, & multa alia & quidem præstantissima ediscent studiosi Medici, quæ ad nobiliorem Medicinæ partem, nempe ad hygieniam pertinent. Hac præterea in Medicinæ parte inter cæteros excelluerunt Marsilius Cagnatus, Lodovicus Nonius, Bruyerinus Campejus, Joannes Cechius, Joannes Colle, Cornarus, Gisbertus, Horstius, Vopiscus Fortunatus Plempius, Ramazzini, Fridericus Hoffmannus, & Antonius Cocchius in suo eleganti tractatu de victu Pythagorico Italico sermone scripto.

Sed sentio ab aliquibus me acriter increpari, quod studiosis Medicis solis matutinis temporibus nimiam Librorum Lectionem proponam. Ut enim, inquit Baglivius, nimia ciborum ingurgitatio salubriorem valetudinem non affert, ita neque inexplebilis Librorum lectio solidiorem doctrinam. Fateor equidem in hac semper fuisse sententia, ut pauci, & optimi tantum Libri, non celeriter ac tumultuarie, sed pedetentim, sed discendi studio, numquam tamen libertate judicandi neglecta, legantur. sed

Unum qu'dquid paulatim protrahit Ætas
In medium, ratioque in Luminis eruit oras.

Et licet natura in suis operibus eadem semper sit, ratio tamen ejus, uti inquit Mercatus, quotidie magis, magisque se se prodit. Quare non video, cur nimia dicenda sit Librorum ingurgitatio illa, quæ a me superius est proposita, cum solum Auctores Classicos, qui singulis ætatibus floruere, proposuerim. Præterquamquod non video tempus umquam deesse studiosis hominibus, sed potius diligentiam, qua una virtute, ut inquit Cicero, cæteræ omnes virtutes continentur. Sunt enim tempora, quibus epidemiæ non vigent, sunt tempora, quibus pauci sunt visendi ægroti; Ideoque tunc temporis aliqua hora semper subripienda est, qua non solum superius propositis Libris danda opera, sed fertilis ille campus, anotomicum nempe Studium colendum est, & Librorum lectione, & cadaverum sectione, neque umquam vel inter extremas senectutis occupationes intermittendum.

Hanc Artem, quam Alcmæon instituere cœpit, præter Hippocratem, Herophilus, Erasistratus, & Galenus excoluerunt; At Erophilus, & Crasistratus viva damnatorum hominum corpora fere inumerabilia aperiebant, Galenus vero animalium & præcipue Simiæ viscera introspiciebat. Hos postea secuti sunt Arabes; sed impurus sermo barbaris tyrannidem in litteras excercentibus, caussa fuit, cur illis aliquando in hac arte fides non adjungatur. Hoc horrido stilo opera anatomica ad Antiqui.

tiquitatis mentem Scripsit Mundinus, qui vixit anno Christi millesimo trecentesimo quinto, cujus anatomia in tanto pretio fuit, ut ex Statutis Patavinis non alia per plurimorum annorum decursum in eorum collegio legi & edoceri potuerit: & Jacobus Berengarius, Carpo, Gabriel de Gerbis, & Mathæus Curtius, & alii plurimi qui sæculo decimo quinto vixerunt, eandem doctrinam secuti sunt. At ante dimidium alterius sæculi inter cæteros floruerunt Carolus Stephanus, & Fallopius, quorum alter multa noscenda detexit, atque inter alia Tubas, seu cornua matricis, unde ex recentioris Medicinæ Sententia, ova, quæ hominum seminarium sunt, in uterum descendunt; Quamobrem cornua hujusmodi Tubæ appellantur Fallopianæ; Alter vero, Stephanus nempe, primus fuit, qui partes animalium figuris delineare suscepit, quod ante ipsum nemo aggredi ausus est. Non multum vero post præfulsit Vesalius, Auctor in hac arte accuratissimus, quem, cum ætatis suæ annum vigesimum secundum nondum attigisset, fama viri commotus Venetus amplissimus Senatus lauto stipendio ad se accivit ad anatomica, & Chirurgica publice in Academia Patavina prælegenda, demostranda, & excolenda. Hic plurimos Galenicæ Anatomiæ errores detexit, & veluti novam anatomicam Scientiam edocuit. At eodem fere tempore Gabriel Cunæus Mediolanensis litem excitavit Vesalium inter, & Sylvium acerrimam de Galeni anatomica doctrina, in qua Sylvius contra Vesalium contumeliose viginti, & octo scripsit, ut ait Kenerus, depulsiones, con-

tra,

tra quas tamen Apologiam pro Vesalio instituit eruditissimam idem Renatus Henerus, in qua totius pene negotii anatomici controversiæ explicantur, & Asini Sylvani Bipedes vocantur Sylvii fautores. Erudite præterea Scripsere de Re hac inter cæteros anno millesimo quingentesimo quinquagesimo nono Cæsalpinus, & Realdus Columbus Cremonensis qui suffectus est in Locum magni Vesalii, cum Patavio discederet. At paulo post, anno scilicet millesimo quingentesimo septuagesimo nono, excelluit Bartholomæus Eustachius, celebris ille Vir, cujus anatomicas Tabulas e tenebris tandem erutas a Clemente XI. Pontifice Maximo munifico dono acceptas Maria Lancisius illustravit. Laudandus hic etiam est Constantius Varolius, qui Nervos a Spinali Medulla oriri primus detexit; neque prætermittendus Hieronymus Fabricius ab Aquapendendente, qui circa finem ejusdem Sæculi in Gymnasio Patavino primus Anatomicus in recens ornato Theatro anatomico publice docere cępit a Senatu Veneto ad id munus magno pretio accitus. At post Aquapendentem laudandus est Spigelius, qui eandem sedem chirurgicam, & anatomicam conscendit & cum Prævotio lites acerrimas habuit. Nec prętermittendus Gaspar Asellius qui Vasa Lactea per Mesenterium decurrentia detexit. Hic addendi pariter sunt Gaspar Bartholinus, Thomas Bartholinus, qui hepatis exequias celebravit, & Olaus Rudbeck, qui litem movit Thomæ Bartholino de prima inventione Ductu lynphaticorum, quos ipse aquosos vocat:

Et

Et Joannes Pecquetus, qui incognitum hactenus Chylo Receptaculum, & ab eo per Thoracem in ramos usque subclavios Vasa lactea conspexit; Et Celebris Virsungius, qui ductum Thoracicum primum detexit: Et Joannes Schvvam merdamius, qui Joannis Van-Horne Discipulus fuit, & Regnerum de Gmaff condiscipulum ingratum vocat, quia Preceptoris inventa sua fecit; Fuit enim Van Horne primus, qui Ductum Thoracicum novum detexit, & primus quoque, qui testiculos viriles dixit esse conglomerationem ductuum seminalium, & mulierum Testes vocavit ovaria; Et Fridericus Ruyschius, qui primus Valvulas in vasis Lymphaticis, & lacteis demonstravit. At inter cæteros Anatomicos, qui preterito Sæculo excelluerunt, summam meretur laudem Harveus, qui verus circulationis Sanguinis inventor dici potest. Quamvis enim Michael Servetus anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo proposuerit motum sanguinis ex dextro ventriculo in pulmones, & ex his per venam pulmonalem in Cordis sinistrum: Quæ eadem & Columbus proposuit, & Andreas Cæsalpinus, ii tamen omnes partem veritatis videntur vidisse, at omnem ejus complexum neque perpexisse, neque idoneis testimoniis confirmasse. At Harveus millesimo sexcentesimo vigesimo octavo perfecit, ut ita dicam, inceptum opus, & per innumerabilia experimenta adstruxit systema suum, cujus utilitas per omnem Medicinę ambitum latissime patet. Non multum vero post, & ad finem properante pręterito sęculo innumerabiles ferme Auctores

res

res Anathomici excelluerunt; Inter quos maxime sunt laudandi Glissonius, Malpighius, VVillisius, Peyerus VVepferus, VVarthonus, Covuperus, Nuchius, & Littrius: Nec non Steno, & Vansalva, & alii plurimi, quos, si enumerare vellem, longior plus justo fierem. Inter celebriores vero nostri Sęculi Anatomicos, Tu quoque, doctissime Morgagni, non doctrinę claritate, sed temporum successione postremo loco dinumerandus: Tibi enim doctrina, diligentia, & eruditione primus, ut Anatomicorum Principi, debetur locus.

Sed cum maximo incommodo sit medico Practico ad Ægrotantium saluti consulendum, omnes, quos supra enumeravi Auctores legere, ab illorum ferme omnium lectione me abdicarem, & Verheyem legerem; in quo omnia necessaria familiari, claroque sermone exposita habemus, & compendium anatomicum Laurentii Heisterii; quod brevissime totam Rem Anatomicam complectitur, & Ioannem Adamum Calmum, qui & ipse fecit compendium Anatomicum, & corrigit Verheyeni prolixitatem, & Heisteri figurarum defectum; Nec non Anatomiam Jacobi Skeil Corporis humani in compendium redacta, & jam sexies edita. Si quis tamen majori fruens otio cupiat hoc anatomicum studium erudite persequi, plures debet ordine legere Principes Auctores, qui in hac arte floruere. Nam cum humani Corporis fabrica tam admirabilis, & tam late patens sit, nemo umquam eam totam ita clare delineavit, ut possit Anatomię cupidus uno tantum Auctore insistere. Sed singuli in singulis descri-

scribendis partibus maxime præstitere.

Itaque primum ad quatuor Classes redigi debent Auctores, qui de Anatomia erudite tractarunt, & quidem in prima Classe ii ponendi sunt Auctores, qui de Ostologia, sive de Ossibus scripserunt, quæ tria themata continet, nempe Osteogeniam, quę materiam, originem, & conditionem ossium designat; Ostheographiam, quę de Ossium structura agit, & fabricam, & diversitatem partium in ipso Osse perfecte delineat: Et Synosteologiam, quę explicat omnes partes in osse, quę faciunt, ut os ossi annectatur cum motu, & sine motu, cum cartilagine, & sine ea. De prima, de osteogenia nempe fuse tractarunt Teodorus Kerkhingius in suo Tractatu, in quo quid cuique Ossiculo singulis accedat mensibus, quidque decedat, & in ea per varia immutetur tempora, accuratissime oculis subjicitur; & in alio Tractatu, in quo confirmatio fętus ab ovo usque ad ossificationis principia ostenditur: Et Marcellus Malphighius in suis Operibus posthumis figuris æneis illustratis, & Carolus Drelincurtius, & Dominus le Clerc. De Osteographia vero eleganter scripserunt Clopton Havers, Ioannes Riolanus Parisiensis Filius, Realdus Columbus, qui etiam eximiam methodum conficiendi Sceleti explicavit, uti etiam Dominicus Gagliardus, qui elegantissimum & lepidissimum conscripsit Libellum, hoc titulo inscriptum; *Anatomes ossium novis inventis illustratæ*. Ad synostologiam, quod attinet legendi sunt Vesalius, Columbus, Fallopius, Le Clerc, Riolanus, cujus Operibus anatomi-

cis

ctis nemo Medicus carere debet , ut notat Boerhaave, *nam si oporteret, ut munus Professoris Anatomiæ excoleret non deberet verecundari , si tantum ordinem bujus Auctoris sequeretur;nam ibi reperitur quidquid ad eruditum Anatomicum pertinet*. Et Philippns Ingrassias, qui nova quędam excogitavit.

In secunda Classe ii numerandi sunt Auctores, qui de Myologia agunt , quę tractat de parte carnosa mobili, & osse movenda, nempe de musculis, & duplex est; altera nempe vocatur sarcotogia, & de parte carnea tractat; altera Aponeurosologia , & partem musculorum tendineam describit. Et hac in Re Ricardus Lovverus, Guglielmus Courperus, Gabriel Fallopius, Alphonsus Borellus maxime floruere ; uti etiam Fridericus Ruyschius , & Raimundus Vieussens, & Christianus Thebesius, qui in Musculi Cordis descriptione maxime digni sunt, qui laudentur.

In tertia vero Classe illi recensendi sunt Auctores, qui de Sphlanchrologia scripserunt, nempe de visceribus, quo nomine cerebrum, cerebellum , fauces , pulmones , ventriculum, pancreatem , hepatem , omentum , lienem, intestina , mesenterium , renes , organa genitalia, uterum complectimur. Celebrandi maxime sunt Thomas VVillis , Raimundus Viussens, Fridericus Ruyschius , Malpighius, Henricus Ridleus in cerebri descriptione, & Petrus Pachionus, & Mery in fabrica & usu duræ Meningis: Valsalva , Conradus Victor Schneiderus in Structura Faucium, & Julius Casserius de vocis , auditusque organis in

in Historica Anatomica singulari fide, methodo, ac industria concinnata; Uti etiam Dodart de voce, & de vocis Instrumentis; Thomas Bartolinus, & Malpighius de Pulmonibus, quibus etiam addi potest Ruyschius in suo exiguo tractatu de Bronchiis: Glissonius de ventriculo, & intestinis: Hieronymus Fabricius ab Aquapendente de Ventriculo, & varietate intestinorum; Thomas VVillisius in Pharmacia rationali, ubi Historiam de Ventriculo, & varietate intestinorum describit; & Ruyschius in observationibus, ubi de Vasis Arteriosis, & venosis Ventriculi egregia habet; Et Carolus Drelincurtius, Lambertus Valthuysen, Marcellus Malpighius, & Ruyschius de Splene; Regnerus de Graaf, Malpighius, Conradus Brunerus, & Thomas Vartonus de Pancreate: Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Thomas Bartholinus, & sæpius laudatus Malpighius de omento, & adiposis ductibus; Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, Bartholinus, Gaspar Asellius de Mesenterio. Franciscus Glissonius, Malpighius, & Ruyschius, de Renibus; Regnerus de Graaf, Leal Lealis, Guillelmus Covuperus, Ruyschius de virorum & mulierum organis, in quorum descriptione quam diligens, quam accuratus, & elegans tu quoque fueris, doctissime Morgagni, nemo est qui ignoret; & Bloncarus de Testibus; in quorum numero habendi sunt qui de sensuum organis scripsere. Ut Bartholomæus Eustachius, Josephus Duverney de Aure, in quo Argumento legendus est etiam Valsalvæ Liber, qui prostat apud Franciscum Pitteri hoc magnifi-



co

co titulo. *Viri Celeberrimi Antonii Mariæ Valsalvæ Opera hoc est Tractatus de Aure humana accuratissime Editione hac quarta descriptus, Tabulisque Archetypis exornatus, & Dissertationes anatomicæ, quæ nunc primum prodeunt ad colon intestinum; ad Arteriam Magnam, ad accessorios nervos, ad oculos, ad suffusiones, & ad renum succenturiatorum excretorios ductus attinentes Tabulis itidem illustratæ*; quæ omnia recensuisti, & Auctoris vitam, & tuas ad tractatum, ornatissime Morgagni, dissertationes, & Epistolas addidisti duodeviginti. In Gustus vero Organo describendo maxime excelluere Laurentius Bellini Malpighius, & Fracastatus. In oculi tandem descriptione laudantur Plempius, Nuchius, Hovius, Ruyschius, & Brigs.

In quarta demum Classe illi enumerandi sunt, qui in Angiologia, sive in vasorum descriptione accurate versantur. Qua in re inspiciendæ sunt venæ, Arteriæ, vasa lynphatica, & Glandulæ. In venis, & Arteriis maximam sibi Laudem promeruere magnus Vesalius, Guillelmus Covuperus, Ruyschius, Antonius Levenochius, Bellinus in Epistolis postumis, & Fabricius ab Aquapendente. In vasis vero lymphaticis describendis egregie insudarunt Ludovicus le Bils, Rutbechius Thomas Bartholinus, Glissonius, Iohannes Iacobus Pauli; & Ruyschius, & Malpighius, & Nuchius, qui lymphaticas valvulas optime descripserunt. In oculorum glandulis describendis maxime præstitere Meibomius, & Ioannes Baptista Bianchus, ille in vasis novis palpebrarum, hic in du-

ductibus lachrymalibus. In vasis vero saliva. libus laudandi sunt Vvarthonus, Nicolaus Steno, Gaspar Bartholinus, Rivinus, Antonius Puck, & Augustus Frieder VValtherus, qui novos salivæ rivos sub lingua detexit. Asellius vero in lacteorum Vasorum descriptione singulari laude dignus est. Glandularum tandem fere omnium descriptionem potissimum aggressi sunt Thomas VVarthon, Marcellus Malphighius, Antonius Nuchius, Guillelmus Covuperus, Fridericus Ruyschius, & in Glaudulis Uretræ Terraneus, qui suum Librum in quinque Capita dividit, in quorum primo de glaudulis disgregatis in genere, in secundo de glandulis disgregatis Urethræ, in tertio de glandulis conglomeratis Urethræ, in quarto de Glandularum Urethræ conglomeratarum musculo; & in quinto tandem de morbis glandularum Urethræ, & præcipue de Gonorohæa agit. Qua de re legendus est etiam Antonius Benevolus, qui de Urethræ Carruncula in sua epistola, in qua multa nova, & ad ejus curationem utilia inveniuntur, eleganter scripsit. Nec reiiciendi sunt VVarthon de glandulis unitis, & vagis in Mesenterio & Conradus Peyerus in glandulis Intestinorum; & Antonius Pacchionus in describendis duræ Matris glandulis conglobatis; & Clopton Havers de glandulis mucilaginosis circa Articulorum regiones.

Post anatomicum Studium in Botanica Medicus Practicus versari meo judicio debet; cujus inquisitione quia nimis operosum est

omnes herbas noſcere, quæ a Botanicis a primordiis Medicinæ uſque ad noſtra tempora detectæ ſunt, ac nimis difficile omnes Auctores legere, qui in hac Arte floruere; & quia parum intereſt Medico ſcire, an Turnefortiana Methodus, an Rajana melior ſit, & in Auguſti Quirini Rivini Operibus inſudare, cum id nihil, aut parum ad medicam Artem exercendam faciat; ſatis crederem fore Medico, pro optima exercenda Praxi in Dioſcoride cum Matthioli notis inſudare, & in Joanne Scrodero, & Criſtiano Marggravio, & Samuele Daale, & Fabio Columna, & Roberto Moriſon, in cujus operibus Gaſpari Bauhini hallucinationes deteguntur. At ad abſolutam rei hujuſce cognitionem comparandam præ omnibus inſerviet Liber ille, qui hoc titulo inſcribitur: Hiſtoria Botanica Practica, item plantarum, quæ ad uſum Medicinæ pertinent, Nomenclatura, deſcriptio, & virtutes, tum ab antiquis, tum a recentibus celebrium Auctorum ſcriptis deſcriptæ, ac æneis Tabulis delineatæ, atque ad vivum ex Prototypo expreſſæ, nec non in Claſſes triginta quinque diſtributæ, ut facilius cujuſque ſimplicis genus, ac ſpecies dignoſcatur, Auctore Joanne Baptiſta Morandi,

Ut autem omni ex parte perfectum evadat ſtudium, medicum Pharmacopæas præ manibus haberem, præcipue Schroderianam, & Lamerianam, nec non Juſtum Molerum in Faſciculo Remediorum, Joannem Renodæum in ſuo Antidotario, Danielem Ludovicum in Pharmacia moderno ſæculo applicanda, &

Ermu-

Etmulerum in Notis Schroderi, & Ludovici. Ex quibus tamen omnibus semper efficaciora, & simpliciora remedia sunt seligenda, atque notanda, ut in usum data occasione redigantur. Scimus enim ex earum lectione nos abundantia potius remediorum, quam inopia laborare, proinde magno judicio in remediis seligendis opus esse, ac memori figendum pectore aureum illud Arnoldi dictum; *dolum esse compositis uti, ubi simplicia sufficiunt*; alterumque Simonis Paulli, *desipere esse, domi suæ esse divitem, & foris stipem colligere, aut despicere patria, prospicere exotica.*

Confecto Botanico Studio non mihi inutile esse ducerem Chemicis operam dare, quin imo me libenter excitarem ad hanc quoque artem, quantum fieri potest, adipiscendam. Quod ut facilius præstarem, tamquam duces sequerer Nicolaum Lefebeur, Lamery Patrem, Robertum Boylæum, Othonem, & Hermannum Boerhaavium in suis elementis Chemiæ.

Sed ut Medicus Practicus excellens ab omnibus habeatur, & sit, non humanam tantum valetudinem tueri sciet, amissamque sanitatem restituere, sed etiam animantibus omnibus vitam servare, & ab ipsis morbos arcere, quorum usus ad hominum commoda, & ad ipsam humanam vitam servandum plurimum conferunt. Itaque Medicus debet in studio rei veterinariæ versari, atque ad illos etiam appellere animum Auctores, qui in hac ipsa materia eleganter scripsere. In quorum numero sunt Columella, Fracastorius,

Valisnerius, Lancisius, Carolus Mazzuchellus, & Rei veterinariæ scriptores, qui editi sunt græce, & latine.

Ne vero earum rerum, quæ ex diuturna Librorum lectione eruuntur, nos capiat oblivio, nobiliora dicta, pulchrioresque sententias, & præstantiores doctrinas Adversariis quotidie committerem, singulisque mensibus relegerem.

Hanc ferme rationem in legendis medicis Libris, eo tamen animo, ne in verba magistrorum jurent, neve eorumdem sententiis, & opinionibus temere assensum præbeant, studiosis hominibus servandam proponerem, Vir Sapientissime; Quam quidem facilius ab iis servari posse existimo, si Andream Vesalium, & Leonardum a Capua attente legendos sibi sumpserint, ut ad veram trutinam Antiquorum opiniones redigantur, amotisque præjudiciis, quæ incautis hominibus fucum facere possunt, libere, quid sentiant, judicent.

Verumtamen ut mens nostra rectum, in corruptumque judicium ferre possit ab infantia potissimum præjudiciis amovenda est, proindeque aliam Librorum lectionem institui oportere censeo, quæ eruditos vere constituat Medicos, & Philosophos. Horas autem, quibus hanc Methodum instituerem, in duas partes, alteram quidem in pomeridianam, alteram vero in serotinam horam distribuerem. Toto æstivo tempore a prandio post aliquam quietem, vel brevem somnum studiis opera danda est, hiberno vero tempore

ante Cænam. Qui autem Libri, & quo ordine legendi sint, nunc tibi, eruditissime Vir, exponam.

Ad recte igitur mentem dirigendam Librum illum in primis eligerem, cujus hic titulus, Logica sive ars cogitandi, huncque summa diligentia legerem, quippe qui relictis futilibus, & nullius momenti scholasticis Quæstionibus apprime utilis est, ut veras rerum Ideas concipiamus, utque nostrum de Auctorum sententiis, & placitis judicium certum feramus. Ab hoc veluti scientiarum ostio me transferrem ad Edmundi Purchotii Senonensis philosophicas institutiones, inque secundo, & tertio Tomo præcipue consisterem, cum in hisce, & geometriæ, & generalis, & particularis Physicæ elementa, quibus erudita mens ad phenomena mechanice explicanda valebit plurimum, continentur. Quo etiam tempore legi potest a doctioribus, & Geometriæ cupidis Bernardus Lamy *Elemens de Geometrie*; utque totius corporis humani vires, & actiones omnes funditus noscantur, attenta mente legendæ sunt Prælectiones Academicæ Hermanni Boerhaave, quas edidit, & notas addidit doctissimus Haler: neque enim brevius organarum nostri corporis partium operationes, neque clarius describi pussunt. Hisce prælibatis, quibus fuerunt fortasse in Scholis imbuti studiosi homines, ad veros Philosophiæ fontes migrandum est. Et primum quidem ex Platonis, deinde ex Aristotelis, tandem vero ex Lucretii fonte, eo tamen animo, ut ea om-

nia rejiciamus, quæ in iis experientiæ, rationi, & religioni adversantur, aquas haurirem. At si recte intelligantur præter optimam morum institutionem ex Platone ediscemus omnia nobis bona adesse, si adsit virtus, verosque nobis comparabimus duces, qui in tot, tantisque tenebris facem veluti præferant, veram nempe opinionem, & scientiam, & alia plurima maxime delibabimus, quæ ad Medicam artem exercendam peropportuna sunt. In legendo vero Lucretio magna animi provisione cavebimus, ne cum illo in iis, quæ de mundo, de anima, de religione, de Deo, & de Providentia scripta sunt, sentiamus.

Ab his Auctoribus edocta mens potest per philosophantium placita libere excurrere, addito tamen semper ad ea studia animo, quæ maxime ad nostrum conferunt institutum. Hæc suppeditabunt Vitruvius cum exercitationibus Vitruvianis Joannis Poleni; Gassendi Commentaria ad Diogenem Laertium de Philosophia Epicuri; Joannes Vallisius de Percussione, Dialogi Galilæi; Mercurialis, & Vallisnerius de Generatione, Muratorius de imaginationis viribus, Ioannes Alphonsus Borellus de vi Percussionis, & de motibus naturalibus a gravitate pendentibus, de caussis febrium malignarum, & de motu animalium; Baconus Verulamius in secunda parte suorum operum mere philosophica, & physica, & Robertus Boilæus, qui incæpta Verulamii perfecit. Quibus addi potest Historia Academiæ Regiæ scientiarum; Dominus Gilbertus Carolus le *Gandre* de opinione; &

Ri

Ricardus Louverus in suo Tractatu de Corde, & motu, & calore sanguinis, & Chyli in eum transitu, quem Tractatum septies maxima cum delectatione Boerhaave se legisse fatetur : ex hoc clare patet, qui sit cordis situs, & quæ ejusdem sint partes, quæ vasa in Cordis Parenchima sanguinem convehant; quæ reducendo eodem inserviant, quibus stipetur nervis, qua structuræ elegantia conformetur; quo fibrarum ordine ejusdem cordis musculi sint dispositi; quo artificio formentur auriculæ, quo intus apparatu cor instruatur, quo usu fibræ carneæ in dextro ventriculo sint positæ : quænam sit fabrica, & usus papillarum, & columnarum carnearum, valvularumque, circa diversa cordis Ostia consitarum, tum qua sanguinem cor a venis excipiat, tum qua eundem in arterias expellat; quanto, & quali apparatu confluenti sanguini, & mox discessuro ductus, & via sternatur; qui præterea, & qualis hujus admirandæ machinæ motus atque usus sit; an cor seipsum moveat an potius a sanguine moveatur; quibus præterea instrumentis, & quibus machinis motus cordis perficiatur, quibus alteretur & quali, & quanta vi exerceatur, & unde illa vis data sit, & quomodo sanguis per annexas arterias ex cordis sinistro ventriculo per totum corpus diffundatur, & quomodo per apertas venas ad dextrum ejusdem cordis ventriculum reducatur; & quanam venæ, quanam Arteriæ structura donentur; quas mobidas affectiones vividior cordis motus, quas languidior producat; unde rubicundus sangui-

nis color oriatur, & quomodo fluxus sanguinis pro diversa corporis figura alteretur; & multa alia clare patent; quæ scire Medicum numquam pęnitebit. Neque hic negligendi essent Boylus, & Dominicus Guglielminus de sanguinis natura; Mercennas Pater dictus ex minimis, in experimentis Mechanicis, hydrostaticis: Nicolaus Steno Danus in Myologiæ elementorum specimine, quod scripsit ad Ferdinandum secundum Magnum Etruriæ Ducem, in quo contendit Musculum esse fibrarum motricium collectionem ita conformatam, ut mediæ carnes paralepipedum obliquangulum constituant, tendines vero oppositi duo prismata tetragona componant; Archibaldus Pitcarnius de fluidorum secretione per vasa minima: Franciscus Redius in observationibus de animalibus viventibus in animalibus viventibus, & in observatione viperarum; Ioseph e Papa de natura calidi, & frigidi, & humidi, & sicci; Valisnerius in suis considerationibus, & experimentis circa generationem vermium humani corporis: necnon Lancisius de noxiis paludum effluviis, de ortu, vegetatione, & textura fungorum, de humorum secretione in genere, & præcipue de bilis in hepate separatione: & tandem Ioannes Iacobus Mangetti in sua Biblioteca scriptorum Medicorum veterum, & recentiorum, opus sane cedro dignum, quod, mea quidem sententia, præ omnibus illius celeberrimi Auctoris Bibliotecis palmam retulit.

Sed cum Medicus studere debeat, ut non

iis

iis ſolum ſatisfaciat, quibus neceſſe eſt, ſed etiam adſtantibus & oppido curioſis; diverſis enim diverſa placent, & nonnulli lepidum, aliqui gravem, multi facundum, omnes tamen doctum; & prudentem cupiunt Medicum, peto a te, Vir Sapientiſſime, utrum aliquando liceat remiſſo graviori Studio feriari, & aliis amænioribus ſtudiis quę mentem uno tempore relaxent, & erudiant animum, adiicere. Hoc tu ſi optimum factu duceres, amplecterer ego illa Studia, quæ ad animos ægrotantium ſanandos, recreandoſque; ipſoſque Medicos eruditos reddendos plurimum conferunt; morale nempe, poeticum, & Hiſtoricum. Primum poterit Medicorum caſtam; & ab omni ſcelere puram, tum vitam, tum Artem, Hippocratis exemplo ſervare, & ſalutaribus præceptis ægrotantium mentes curare; Alterum vero aliquibus ſalibus, & facetiis animos recreare: Tertium tandem, ne ſemper pueri ſimus, ut inquit Cicero, omnia nobis oſtendere, quę antequam naſceremur, evenere. Itaque in moralibus confugerem ad Ariſtotelem, Ciceronem, Senecam, Plutarcum, & Ludovicum Muratorem, & unum ſaltem capitulum Scripturę Sacræ quotidie legerem. Quo tempore legerem etiam Valeſium de Sacra Philoſophia, Paulum Vecchi, & Enricum Valentinum Voglerum, qui ex ſacris Paginis omnia ſelegerunt, quæ ad artem Medicam pertinent, ut abſoluta, quantum ex nobis effici poteſt, eruditio Medica habeatur.

In Poeticis præcipue in deliciis haberem

Ho.

Homerum, Virgilium, Terentium, Plautum, Horatium, Areostum, Torquatum Tassum, &Poesim Italicam Antonii Ludovici Muratoris, qui tamquam apis, quæ ex floribus succum haurit, ex præstantissimis Auctoribus meliora collegit. In historico denique studio instituendo primum historicum Medicinę studium instituerem, deinde etiam alios Historicos, & quidem elegantiores prelibarem. In Medicinę Studio constituendo eligerem Danielem Clericum Joannem Freind, & clarissimum Schulzium. Daniel enim Clericus nos docet Medicę Artis originem, & progressum usque ad Galeni tempora; explicat preterea sectas in eadem arte enatas, Medicorum Nomina, inventa, opiniones, atque nobiliores circumstantias. Joannes autem Freind Historiam Medicinę instituit a Galeni temporibus usque ad sæculi decimi sexti initia. Joannes Henricus Schulzius denique Medicam historiam explicat a rerum initio ad annum Urbis Romæ quingentesimum trigesimum quintum. Ad alios vero Auctores quod attinet ex Græcis seligerem Herodotum, & Tucididem; ex Latinis Salustium, Cæsarem, & Livium.

Sed cum studium Medicum non nisi difficulter perfectum, absolutumque reddi possit, in hisce Libris Medicus potius recreandi caussa insistere debet, quam ut veram, & perfectam cognitionem velit exhaurire; nam

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

Præterquamquod tot Librorum assidua, nunquamque intermissa lectio fortasse lædit, &

& enervat ſtudentium ingenium, cogitandique facultatem tot, tantiſque genere variis, & natura diverſis, atque inter ſe contrariis noſcendis, tractandiſque naturalibus rebus, quas Medicus experiendo magis, quam legendo, & meditando conſequitur, prorſus obruit, ineptamque reddit; ex quo aliquando illa infelicitas in medendo oritur, quæ contigit Joanni Argenterio, qui licet ſpeculando, ſcribendoque inclytus, medendo tamen, ſupra quam credi poteſt, infelix fuit.

Non enim *omnia poſſumus omnes*.

Sed ne Medicus in hanc Scyllam incidat, metietur, ſi ſapiet, primum vires ſuas, cogitabitque diu

Quid ferre recuſent, quid valeant humeri.

Dein ſerio reputabit, debere ſe, doctrina medica, experientia, & probitate præſtare; quarum altera ſi defficiat numquam veri nominis Medicus dici poteſt.

Habes hic exarata ea omnia, præſtantiſſime Vir, quæ de recta Legendorum Librorum Medicorum ratione inſtituenda pro ingenii mei tenuitate excogitavi. Tu interim animadvertas, me ea, quæ poſtulo, non ab inertibus, & deſidioſis, ſed a navis, & induſtriis hominibus poſtulare; ab iis ſcilicet, qui ut ad ſummum Artis faſtigium perveniant, totos induſtriæ nervos intendunt. Vale.





